

lari animam; in aliis FORMAM SVBSTANTIALEM, & quatenus cum materia substantiam vere unam, seu unum per se constituit, id facit, quod ipse MONADEM appellat. Imo & dicit principium constitutum substantiale perseverans, in quo est velut perceptio & appetitus. Repetit pag. 432. ipsam rerum substantiam in agendi patiendique vi consistere.

VI. An in his eam lucem & certitudinem, an vero tenebras animadvertat Lector, non putem, ei posse esse dubium; nec quoque an ita Philosophia prima emendetur, an potius obscuretur & pervertatur; & an notio substantie tam fecunda assignetur, ut inde veritates primariae etiam circa Deum & mentes, & naturam corporum, eaeque partim cognitae, sed parum demonstratae, partim haecenus ignotae, sed maximi per ceteras scientias usus futurae, consequantur; uti iactat, sed nullibi praestat. Ego satis accurate haec omnia examinaui dicta Diff. I. illius Pentadis. Tantum heic observabo, non solum absurde statui, vim agendi ipsam substantiam & intimam corporum naturam constituere, & esse quid extensione prius; siquidem ea vis necessario requirit subiectum, substantiam & naturam, cui ea insit & cuius ea sit; sed etiam virum illustrem secum pugnare, & contrarium saepius innuere. Statuit enim, ipsam vim naturae ab auctore esse inditam. Sic & admittit in corpore principium vitale: & vult, creaturis aliquid esse impressum illo verbo, producat terra, &c. rebus inditam esse efficaciam, formam, vel vim, ex qua series phenomenorum consequeretur: Si rebus, naturis, substantiis, indita sit vis, quomodo ea ipsas substantias, & intimam earum naturam constituit? Imo ita ratiocinatur. Quia menti nostrae vim insitam tribuimus actiones insitas producendi; iam nihil prohibet, imo consentaneum est, aliis animabus vel formis, aut si maius, naturis substantiarum, eandem vim inesse, nisi quis solas in natura rerum nobis obvia mentes nostras aetivas esse... arbitretur. Sed uti si menti nostrae, id est cogitationi perenniter existenti, & varios modos continuo recipienti, vel & producenti, vis cogitandi insit, non est ipsa eius natura & substantia; ita si vis agendi insit, & tributa sit substantiis & naturis rerum, ea non constituit ipsas substantias, nec intimam rerum, ut & corporum, naturam.

VII. Sed maiora longe opinionum portentosa, tenebras, tricas & absurditates notavi in Disputatione de Unione mentis & corporis